

Et^{h)} salva nobis dicta protestacione premissa, cum per generalem narrationem dicti processus et eius observanciam et quia eciam de nobis in eodem specialis fit mencio de quibusdam excessibus, in quibus tamen indifferenter fuimus et sumus penitus innocentes, in pluribus absque causa et culpa nostra religio status et ordines nostri et mulierum, de quibus infra fit mencio, lesa existunt et leduntur cottidie. Et ob hoc eciam contra nos, status, et ordines nostros et nonnullas mulieres devotas, honestas, continentis, et in simplicitate et absque culpa et nota infamie excessuum seu errorum in dicto vestro processu narratorum consciencie puritate et fide non ficta virtutum domino famulantes — sicutiⁱ⁾ sunt de tercio ordine beati Francisci et plures alie vulgari vocabulo Beginarum nuncupate, sub constitutione concilii Viennensis²²⁵⁾ minime comprehense, et per declaratoriam²²⁶⁾ felicitis recordacionis domini Iohannis pape XXII tollerate, ut ex subscriptis laciis apparebit —, nobis adherentes gravia et plurima scandala sunt exorta et cottidie oriuntur; dicteque mulieres innocentes cum nocentibus — si que tamen nocentes fuerunt, quod non credimus neque scimus — a participacione divinorum et sacramentorum percepcione segregate^{j)} sunt et excluse et cottidie segregantur et excluduntur. Hinc^{k)} est, quod dictum processum cum eius penis supplicamus et petimus nostri et dictarum mulierum nomine revocari, dictamque paternitatem cum instancia humilitate et devocione debitis super eo requirimus et attentius imploramus, presertim cum idem processus absque omni accusacione denunciacione et inquisicione premissis — quorum tamen alterum precedere debet in corectionibus subdito-

^{h)} *Glosse*: Post protestacionem seu excusacionem conqueruntur de lesione sua propter istum processum W (= *Heinrich von Sachsen*) ⁱ⁾ *Glosse*: Applicant ad Beginas 3ⁱⁱ ordinis sancti Francisci W (= *Heinrich von Sachsen*) ^{j)} segregata W ^{k)} *Glosse*: Mendicantes petunt revocari istum processum episcopi W (= *Heinrich von Sachsen*)

²²⁵⁾ Gemeint ist damit zweifellos die Konstitution *Cum de quibusdam mulieribus* (Conc. Oecumen. Decreta, 1973, S. 374; = in Clem. 3.11.1; ed. Friedberg 2, 1169).

²²⁶⁾ Hier könnten die Verfasser der „Protestnote“ sowohl die Bulle *Racio recta* (Extrav. comm. 3.9.un.; ed. Friedberg 2, 1279f.) mit dem Grundsatz der Unterscheidung guter und schlechter Beginen wie die speziell die Terziaren betreffende Bulle *Etsi apostolice sedis* von 1319 Februar 23 (ed. C. Eubel, Bull. Franc. 5, 163 f. Nr. 354), die allerdings keine kanonische Geltung erlangte, gemeint haben.